



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Religionis laudes ex Patribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Ideo sunt ante thronum Dei.* Apoc. 7. 15. Tropologicè hæc Fidelibus in hac vita Deo in spiritu, & veritate, ex toto corde, ferventibus, ac præsertim Religiosis, accommodari possunt. Hi enim inchoant vitam cœlestem, beatam, ac angelicam. Unde 1. Deo, quasi in templo, jugiter assistunt: etenim Religio est quasi cœlum quoddam terrenum, ait Climacus gr. 4. ac templum, ait S. Bernardus serm. 1. de dedic. Eccl. 2. de his verè dici potest, quòd patriam jugiter serviunt Deo. Sunt amici stolis albis; habent palmas &c. Cornelius hic.

Clastrum Monasterii vivarium est animarum: ibi quippe vivunt pisces, qui juxta legis edicta, pennulas habent; atque, ut in corpus Christi transferantur, Israelitarum mensis delicias præbent. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

Ossa non possunt flecti; nec Religiosi à Regula sua. Ossa abscondita sunt in carne: sic Religiosi in Claustro. Hugo Card. in Psal. 34. 10.

Platanus. Lem: *Obumbrat, & recreat.* S. Laur. Just. de discipl. & perfect. Monast. est etiam mysterium hoc quasi ingens arbor, virentibus referta foliis: sub quam quicumque fugiunt laborantes, & peregrinantes; proteguntur in ipsius umbraculo ab æstu dici. Picinelli.

## §. II.

*Religionis etymon.*

**R**eligio appellata; quòd per eam uni Deo *religamus* animas nostras ad cultum divinum. S. Isidorus originum l. 8. c. 2.

Unde etiam à religando Religio dicitur. S. Bernardus de natura, & dignit. amoris c. 15.

## §. III.

*Religionis laudes ex Patribus.*

**P**aulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem: speculari inde rerum infra te jacentium facies; & oculis in diversa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantes Mundi turbines intueri. Jam sæculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, majore lætitiâ, quòd evaseris, gratulaberis. S. Cyprianus ep. 2.

Tot exercitus habet Deus in terra, quot sunt ordines in Ecclesia. Innocentius P. III. de sacro myst. alc. l. 2. c. 61.

Verè domus luctus monasteria sunt; ubi cinis, atque cilicium; ubi solitudo; ubi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus; ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum; ubi munda sunt omnia. Nullus ibi nidoribus locus; absunt procul sanguinis rivi, perturbationes, cura, tumultus; tranquillo in portu navigant; ac velut luminaria sunt, sublimes de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnes ad quietem suam invitantes, ac pertrahentes;

neque naufragium pati sinentes eos, qui se intuentur: non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes. Pergere itaque ad illos, quare, hospitio suscipere; accedite, tange sacros pedes. Longè enim honorabilis est illorum pedes, quàm aliorum caput, attingere. Quasi de terra in cœlum, ita ad sancti cujuslibet viri monasterium, de propriis dormibus itur. S. Chrysostomus hom. 14. in Tim. 5.

Quòd si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ; sed perpetuæ funduntur preces. Non ibi medicorum operatur manus; sed fides sæpe sola sanavit infirmum. Non adstat solutis crinibus uxor, non parvi pupillaris incommodi, quæ nondum contiger mala, desistentes: non familia expirantem importunis precibus pullans; ut se cuiquam totò commendet. Sed, his impedimentis omnibus exutus, animus unum inspicit solum; quò pacto majori cum gratia extremum Deo spiritum fundat. Id. ibi.

Mundus assimilatur pelago; portus verò est vita Religiosa. S. Ephrem Adhort. 4. ad Novitium Monach.

In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quàm Monastica conversatio, & congregatio divino cultui dedicata. S. Laur. Just. de discipl. Mon. c. 7.

Altissima est professio vestra; cœlos transit: par Angelis est; Angelicæ similis puritati. S. Bernardus ep. ad fratres de vita solit.

Religio portus quidam est publicus salutis. B. Theodoretus Studita l. 131.

Nulla major consolatio, nulla delectatio gratior; quàm servire Deo. Vita Religiosa, vita quieta, pacifica, secunda, delectabilis, jucunda, rationalis, amicabile; & gratissima. Vita secularis, vita sollicita, laboriosa, inquieti, periculosa, amara, curis, & anxietatibus, plena. S. Thom. Vill. serm. 2. Dom. Quadrag.

Monacho nullus labor imponitur, nisi ut non laboret: imò ut quiescat cum Deo suo; & totà die delectetur in eo. Id. conc. 3. de Ass. B. V.

Credo, quòd magis ad inflammationem affectus, quàm eruditionem solam intellectus, Religio statuta est; si rectè manet instituta, Gerson de OO. SS.

## §. IV.

*Ad Religionem vocatio.*

**V**ox Domini concutientis desertum. Psal. 28. 8. Non quodvis desertum concutit; sed desertum *Cades*: quod interpretatur *Sanctitas*, vel *Sanctificatio*: quia vox Domini vim habet retrahendi, & segregandi, homines à Sæculi tumultu; & perducendi eos ad desertum sanctum: ubi sanctitati operam navent, & contemplationi DEI, de Ponte in Cant. 2. lib. 5. Exh. 1. §. 4.

Vox